

1978

N

11

[57M]





AD VIRVM ILLVSTREM  
DANIELEM WILHELMVM  
TRILLERVM D.

REGIVM AVLAE CONSILIARIVM  
ET IN ACADEMIA LEVCOREA  
PROFESSOREM MEDICINAE PRIMARIVM,  
VETERVM AMICORVM CORYPFAEVVM

EPISTOLA ALTERA  
DE TEMPORE QVERVLA  
D. G. G. RICHTERI.

Kapitel 78 N 11 [6]

AK







**M**uta Tibi TRILLERE fuit, mihi Musa canora.  
 Dulcior illa filet, raucior illa canit.  
 Sed raucos meruere sonos haec tempora belli,  
 Et pax dulce tuo sperat ab ore melos.  
 Plus decuit, fateor, presso moerore silere,  
 Crimen saepe loqui non siluisse fuit.  
 Sentire, ut res est, quae sentis, dicere posse,  
 Traiani ornabat tempora, nostra fugit.  
 Linguae olim ac animi libertas aurea vixit,  
 Nunc premit ut linguas sic animosque iugum,  
 Et tenuem extorquet, quem possidet incola, censum.  
 Vix vitam, beu nimium stebile munus! habet.  
 Iamque stat attonitus, iam raris vocibus hiscens  
 Tutum an sit? dubitat, plangere, flere, queri.  
 Plus forte aetatis reddit fiducia rutos,  
 Qui laudare solent non nisi prisca, senes.  
 Nam quid multum angit circa confinia mortis?  
 Ultra quid metuit mox ruitura domus?

Esse senes querulos pronosque audire querelas,  
 Ipse meo exemplo discis, egoque tuo.  
 Ad Tibi transmissum nuper de tempore planctum  
 Auscultauit amor congemuitque tuus.  
 Verba tamen nostris non prorsus consona reddis,  
 Vix ausus propriae tangere fata domus.  
 In medio abruptis cursu prudentia vocem,  
 Dat coniecturis magna lituua locum.  
 Vab scio, iam satis est! caute tua vulnera prodis,  
 Morem aevi sequeris, plus ego iura senum.  
 Qui tria quique decem iam vitae lustra peregi,  
 Et parte annorum deteriore premor,  
 Ad nona damna sciam mendacem effingere vultum?  
 Et faciam, ut rugas exuat ille suas?  
 Haud procul a meta fremebundi probra minasque  
 Militis adsuecam Francia ferre tui?  
 Mollia erant quondam mihi tempora, dura sequuntur,  
 Mollia cur iuueni? cur ea dura seni?

Hic

Hic onere exiguo, grandi vix ille grauatur.  
Illata infirmis improbat arma pudor.

O si concilient animos noua foedera scissos,  
Et patrio tandem cedat Erinny's agro!  
O bene! si rursus tranquilla per oia Musis  
Aurea doctrinae spargere grana licet.  
Sordabit Tiberis tenui prae flumine Leinae,  
Si templa Aonidum munera pacis habent;  
Si non haec iterum conuertit in horrea miles,  
Nec squalentem infert turba profana pedem.  
Leina suum Pindum tam sacris alluit vndis,  
Quam vel Plissa suum, Sala suumue rigat;  
Tuque rigas Pater Albi tuum per secla virentem,  
TRILLERIQUE mei tot meritis celebren.  
At quid tam sacrum est, quod iis, qui bella sequuntur,  
Sub rabie armorum sit violare scelus?  
Clitellas asino quibus aequum imponere? certant,  
Lite sub hac geminum gestat asellus onus.  
Qui luit, haud meruit poenas & plectitur insons,  
Eius siue caput siue crumena luit.  
Iugera qui fundi bene culti nuper arabat  
Triginta laetus, nunc tria moestus arat.  
Coeli saepe minas expertus vespere clamat:  
Heu nubes etiam cras teget atra polum!  
Nec tamen imperium noua vestigalia dictans  
Singultu & querula flectere voce potest.  
Non his, Turnus ait, replenda est curia verbis,  
Nostra manum possunt bella, manusque stipem.  
Hoc fixum est animo, dolcas plangasque, quid ad rem?  
In promptu haec babeas, nutua siue petas.  
Cogitur inde miser lacris sub vestibus algens,  
Cum prole esuriens, promere quidquid adest.

Haec TRILLERE leges, qua pridem fronte legebas,  
Si gemis, id lucum crede leuare meum.  
Accipe, quae patuit nobis noua scena malorum,  
Quaeque iterum passi nuper ab hoste sumus.

\* \* \*

Transit



*T*ransiit hic etiam bellis civilibus annus,  
 Quae nunc est, stabilem vix habet hora fidem.  
 Qui subit nuper, nondum pavor ossa reliquit,  
 Turbida res foris est, turbida resque domi.  
 Evasisse quidem maiora pericula visis,  
 Egresso nostris finibus hoste sumus;  
 Miratique, illum, quem nemo urgebat euntem,  
 Se iam praecipiti proripuisse fuga,  
 Haesimus, an quadam dubiae vertigine mentis  
 Nos blandae nimium falleret umbra spei?  
 At brevis illa fuit, vel magna parte sefellit,  
 Nam successit hiems, ipsa molesta satis.  
 Mox prorsus similis rediit fortuna priori.  
 Hostis in haec iterum contulit arua pedem,  
 Tunc, cum trans Rhenum FERNANDVS stringeret enssem,  
 Nosque tueretur parua relicta manus.  
 Post hiemem veluti liquidae de montibus altis  
 In sata voluntur laetaque rura nives;  
 Non secus Hostiacis retro reuolutus ab oris  
 Illuue nostros hostis inundat agros.  
 Auxilium, ut licuit, fert ISENEVRGIVS heros,  
 Sangershufae illud sistere tentat iter.  
 Non Catti, non tela gerunt obtusa Cherusci,  
 At capit & virtus cum ratione fugam.  
 Quo ruitis fortes animae tot millia contra?  
 Marte pari vobis sit vigor ille comes.  
 Non totidem hic manibus, totidem configitis armis,  
 Cedite, sisti impos haec cataraeta ruit.  
 Ex vario in varium rapimur discrimen, & hosti,  
 Heri quod licuit, cras bodieque licet.  
 Intrat ouans victor vacuam tutoribus orbem,  
 Magna in re tenui ferre tributa iubet.  
 Imminet exactor submissis milite, cuius  
 Prorectoris adit pes fremitusque domum.  
 Aequior in Musas hanc vim SVBVISIVS arcet,  
 Exempli ESTRAEI RICHELIIQUE memor.  
 Ipse huc castra mouens nostra bis subleuit orbe,  
 Cinctus honoratis principibusque viris.

At

At spe frustratus penetrandi has altius oras  
Prorogat in reditu cum grauitate moram.  
Hospitii officium nullas nunc eximit aedes,  
Hospitum & in foribus nomina quisque legit.  
Quod mea visa domus non est incommoda, scribunt:  
Bini aderunt domini, seruitiique manus.  
Praecedunt aliqui loca cuncta exquirere iussu,  
Tam sibi quam dominis commodiora suis.  
Subiicite his oculis hypocausta, cubilia, clamant,  
Ipsaque, num placeant, interiora domus!  
Molliter ut festi recubemus, sternite lectos!  
Non exstinguendo luceat igne focus!  
Annuius taciti. Valuas reserare necesse est,  
Intrant, excutunt omnia, pauca probant.  
Mox dominis haec esse negant habitacula digna,  
Et critico mendas quaslibet ungue notant.  
Nunc spatiosa parum loca sunt, nunc peruia ventos,  
Nunc virtium fornax, scala, lacunar, habent.  
Haud aulaeae placent, spondae, lodicula, vela,  
Stragula, puluinar, culcitra, sella, solum.  
Haud, ut oportebat, satis est speciosa supellex,  
Linteae munda parum, nigra culina nimis.  
Sic stabulum, cellas, fecessus, atria damnant,  
Nil sine censuris praeterit ille rigor.  
Haec inter moliri abitum fastidia spes est,  
Fallimur, haud retrabunt friuola probra pedem.  
Iamque superueniunt domini, quos agmina stipant,  
Turba satellitii cum phaleris & equis.  
Sunt domini, fateor, plerumque affabilis oris,  
Nil vox, nil mores asperitatis habent.  
Quin alio prognata luto praecordia dicas.  
Cur tamen his turba est dura rudisque comes?  
Scilicet ut nostra, quam perdunt, forte moueri,  
Ciuibus & miseris parcere malle putes,  
In seruorum humeros, quae sunt iniusta, reuoluunt,  
Et iussa asperius frontis honore regunt.  
Nam quid amabilis? quam comem acquumque uideri,  
Opprimere haud rotos, quos sua fata premunt;

Sub



Sub strepitu armorum reuereri oracula legum,  
Quae Macius spernit truxque silere iubet.  
Dum sibi non aures non legibus obstruit ora  
Heroum virtus, altius ire nequit.  
Illius ingenii tribuis tibi Francia ciues,  
Qui legum armatos frena decere sciunt.  
Praeque aliis illos credis didicisse cauere,  
Ne per bella ferox bellua fiat homo.  
Sunt ea non pauci meriti praeconia laudum,  
Sunt quoque, qui speciem, quod mereantur, habent.  
Naturae dubites an sint haec munera cultus?  
At fucō in multis non caret ille decor.  
Externas scorias deradit lima, sed intro,  
Vt vitium abstergat, non penetrare solet.  
Iactat bonestatem quoque subdolos ore bilingui,  
Improbis & vultum fingit ab arte probum.  
Francia non omni sub caelo lilia fragrant,  
Sub nostro est multis balitus ille grauis.

Hospitibus video nunc octo cubicula plena,  
Per rotamque sonat vox resonatque domum.  
Occupat inter eos e nobilioribus omnis  
Intima musei non vacuata prius.  
Hic nihil intactum, pristino ordine perstat,  
Nulli oculo accessum serinia nostra negant.  
Acrius inspicunt expressas aere tabellas,  
Sub iustis numeris classe locoque sitas.  
Haece meum censum mea saepe peculia dixi,  
Augendisque operam per tria lustra dedi.  
Laxare his animum condire his seria suctus  
Suaniter an tempus praeterisse negem?  
Vix alia hospitibus mens est, at oportuit ista,  
Quae meruisse putant, in noua castra sequi.  
Heu mihi! conuincor, quam gens ea barbara non sit,  
Delectus habitus prouida cura patet.  
Quas minime vellem, video doleoque lacunas.  
Sic lupus eximias e grege tollit oues.  
Tam generosa tamen non lucrum peccora mouit,  
Nam, quae plures erant, cernere salua licet.

Ista



Ista ut deligerent aliis sine labe relicta  
Perspectae in tabulis impulit artis honos.  
Spreuisset rudior. Plebs designata fuisset  
Tollere de mediis ista reperta viis.  
Culpae agnosco minus, dum doctum agnosco palatum,  
Quin ut amem, haud multum, si mihi credis, abest.  
Nolim, in vindicias cum spes mihi nulla superstit,  
Obiicere hospitii saucia iura mei.  
Quid faceret praesens raptorum testis & ultor?  
Dixerit? haec mea sunt! iniicietque manum?  
Plus armata manus iactat se iuris habere,  
Hic, quia partita est, nonne modesta satis?  
Tollere plus poterat, laudo modestamina praedae,  
Quod non ablatum est, muneris instar erit.

Plus damni est aliis, quid nostra crepundia tango!  
Iustus orbs tota cum regione gemit.  
Hostis enim exacto, quidquid fuit aeris, & ultra  
Praedibus abductis obsidibusque cauens  
Mox sub discesu segetes euerit agrorum,  
Spem victus tenuem, qua nequit ipse frui.  
Sic ubi cognoscit, quanti far constet olusque,  
Quamque fere cunctis res sit egena domi;  
Quam pecudes pereant, armentum aegrotet in aruis,  
Ultricesque lues semina tabis alant;  
Egreditur rursusque tuos premit Haflia ciues,  
Heu belli expertos tristia fata nimis!  
Lutterbergae hostis collecto milite crescit,  
Et spes atteritur vulnere nostra noua.  
Nunc utrosque regit bruma & penuria fines.  
Cui res cum saeuo frigore, cumque fame?  
Hic, ubi vix coenam sefertius instruit vnus,  
Vix fornax tenuis segminis igne reper.  
Bellum brumale est merito res barbara Francis,  
Molliculas plantas aspera laedit hiems.  
Tam dubiis nondum fas est confidere rebus.  
Aesuat in patriae liuor & ira sinu.  
Scissa sub ancipiti trepidat Germania fato.  
Cladibus heu toties illacrymata suis!

Nam

Quae nisi seruato sine valore nequit.

Parce

Nam totam mergit velut uno flumine bellum,  
Et parit aerumnas, funera, damna, lues.  
Rura carent cultu, viduantur ciuibus vrbes,  
Ignibus iniectis splendida quaeque ruunt!  
Pulueræ est nubes hominum, quatit vngula campum,  
Milite miles, equis congregiuntur equi.  
Densa potest acies vix tela manumque mouere,  
Fronteque frons hæret, pes pede, virque viro.  
Quot non vna dies animas detrudit in orcum!  
Vna quot excelsas diruit bora domus!  
Quot cecidere duces, adfueti accendere nuu!  
Qui turmarum animæ, fulmina Martis erant.  
Sic aquilone tremens e monte euellit illex,  
Fluctuat antennæ orba carina suis.  
Quis probus ad vocem, quæ magnæ nuntia cladis  
Spargitur, haud surdis auribus esse velit?

Fallor, prurit enim multorum arrectior auris,  
Res semper sitiens arripensque nouas.  
Tam varie non est Euripi mobilis vnda,  
Quin sit vulgi animis mobilitate minor.  
Rumores captant, non tam, quæ gesta fuerunt,  
Enarrant, quam quæ gesta fuisse velint.  
Grandia delectant, heroum palma decusque.  
Quis curam, ut par est, posteritatis habet?  
Hic odio impulsus mentitur & ille fauore,  
Mars armis, calamo pugnat & ore simul.

Cetera vix tanti! solus terroribus implet  
Mars, hostilem armans igne vel ense manum,  
Ambitio nescit ferrum mortemque timere,  
Nil tentare fugit, nil renuitque pati.  
Et bene credit emi quouis discrimine palmam,  
Vulneribusque suis interituque suo.  
Litida sub crebro conflictu brachia iactat,  
Cumque metu mortis mox fugit ipse pudor.  
Per tot victricem sperat dispendia famam,  
Cuius nulla leuat sanguinis vnda strim.  
Sic vel forti animo sociorum vlescitur ombra,  
Vel non ad stygium migrat inulta lacum.



En moriens renouat dubias in praecia vires,  
 Iamque cadens stantis perforat ense latus.  
 O ter felicem! si coram iudice stabit,  
 Ne caelet, vereor, sic decuisse mori.  
 Lectos, quos statuunt, pius aegre agnoscit honorum,  
 Horret ad adspicium, mens supet, ossa tremunt.  
 Hic, ubi trunca iacent armorum fragmina campis,  
 Membraque secta, caput, brachia, crura, manus;  
 Hic, ubi Mars sub se morientum calcat acervos,  
 Semineces vultant, arua cruore rubent;  
 Hic, ubi sub pedibus tellus velut ima debiseit,  
 Quid non horroris lectus honoris habet?  
 Crebro inhumata manent, quae sunt sine nomine sparsa,  
 Multa quasi vnius nominis urna capit.  
  
 Vincula Deo soli fas est abrumpere vitae,  
 Quo sine nulla manus necere vincula potest.  
 Tam nibili est concessa tibi diuinitus aura?  
 Tam vili in pretio munera lucis habes?  
 Quae noua conspectu sexus scintillula vitae  
 Surgit, quamque vteri vis subunda rapit,  
 Quam mirabiliter subit abdita corporis antra!  
 Quam data tutela est prodigiosa comes!  
 Quae curae, quae sunt Naturae impendio, quae vis  
 A re tam fragili mille pericla fugat!  
 Eluctatam vtero fouet ingens cura parentum,  
 Tunc magis occiduo marcida flore perit.  
 Si tamen ad praestans aliquando enititur aeuum,  
 Tam fluxae & tenerae parcere discite rei.  
 Nam fugit, ut nimbi celeres, ut fulminis alae,  
 An furor acceleret mutus hancce fugam?  
  
 Pro patria id fieri pro teque tuisque tuendis  
 Obiicis, an voti conscius ipse tui?  
 Forsan, nam varios res exhibet vna colores,  
 Plus patriam turbas teque tuosque simul.  
 Is, cum quo pugnas, alio non differit ore,  
 Quis non vos patriae ludere voce videt?  
 Mille neces hominum patriae sunt vulnera mille,  
 Quae nisi seruato ciue valere nequit.

Parcite

*Parcite! Caesar ait, dum vincit, parcite civi!  
Nunc potius victor, percutite miles! ait.  
Ira iram accendit, velut vnda impellitur vnda,  
Hic oculum impendit, perdat ut ille duos,  
Sic se vel sociam truculenter perdere gentem,  
Durum a stirpe genus, ferrea corda notat.  
Heu leges in nos nimium sancimus iniquas!  
Viribus heu propriis Patria chara ruis!*

*Quin sunt, qui tanti belli praecordia stellis  
Inferere incipiunt concilioe Iouis.  
Gloria nempe rei gestae iactabitur olim,  
Victrices lauros tempora nostra gerent,  
Helladis & Troiae res & certamina confer,  
Demens heroum plus habuisse putat,  
Extra res belli non est memorabile nomen,  
Degeneres animas cura pusilla tenet.  
Inualidum genus est hominum metuensque pericli  
Musarum in castris, quod sine fine gemit,  
Occisos noctu metuens occurrere, quorum  
In faciem curuis unguibus umbra volet.  
Nempe gerunt animas nil magnae laudis egerentes,  
Hinc tacitos optant molliter ire dies.  
Certe ego non opto vidisse incendia Troiae,  
Cernere, quae nunc sunt, durius esse reor.  
Quod sit tam facilis, doleo, descensus auerni,  
Seque tot accingant ad graue Martis opus.  
Ciues se iugulant, cruor ille nepotibus olim  
Forte sacer, caedes flebile crimen erit.  
Heu misere abreptos in aperta pericula ciues!  
Expiat haud tantum victima larga nefas.  
Ite piaee in lacrymas, non dedecet, ite Camoenae,  
Bellua, sentitis, quanta sit imperium.  
Iustitia armorum quouis sibi nomine constet,  
Foedat ciuilibus cuncta tropaea cruor.  
Pectora mollescant crebris percussa ruinis,  
Tot iuuenum exitio, tot lacrymisque senum.  
Qui pietate prior, qui pacis amantior amplam  
Spem sibi praecidit, victor habendus eris;*

*Victor*



Victor & ipse sui qui spurcam sanguine laurum  
Spinaram metuit pungere dentis caput.  
Bulla crepat, fluxa est humanae gloria vitae,  
Quid restat? gestae fabula parua rei.

Felix, cui modicus seruit sine crimine census,  
Extra bellorum tela minasque latens.  
Qui studium ingenio paucisque impendit amicis,  
Curat, quae sua sunt, quaeque aliena, fugit.  
Non dominis vendit fugientia tempora vitae,  
Sed vitae auctori consecrat illa Deo.  
Sic bene subducens rationes fluxilis aevi  
Sanguinis immunes gaudet habere manus.

Ad Te confugimus, nam Tu potes omnia, Numen,  
Stabimus incolumes, quos Tua dextera teget.  
Quid sint pacis opes, belli discrimina quid sint?  
Errores inter sit didicisse satis.

Fac, quae seruescit, Regum mitescere bilem,  
Ferrea fac non sit, quae tegit arua, seget.  
Post Te stant nostrae momenta salutis in illo,  
Sub cuius posuit nos Tua cura fide.

O populi Traiane Tui, Rex magne, GEORGI!  
Qui tria sceptris manu tam sapiente geris.

In mediis belli per Te seruabimur undis,  
Te saluo moriens spes alimenta trahit.

O quoties abs Te laui sunt limina clausa!  
Dissidii quoties causa diuenta fuit!

Magnis non unum placasti classibus aequor,  
Per Te non una est terra soluta metu.

Non Tibi ius ferrum, nunquam Tibi gloria vis est,  
Aequa partiris lance cuique suum.

Vindice Te stabit libertas nescia cogi,  
Te non tam Dominum quam colit illa Patrem.

Praedam aliis fieri nos haud patieris inultos,  
Non Tibi tam vilis spretaque turba sumus.

Haeret spes animis, hostes Te sospite belli  
Noxam & consilii discere damna sui.

Det Deus, ut Tua sit pacati gloria mundi,  
— Canitie sacrum cingat oliua caput!

\* \* \*

\* \* \*

Te virtute tua TRILLERE inuolue, tuisque  
 Et patriae rebus Numen adesse puta.  
 Cernis adhuc mersos bellorum fluctibus agros,  
 Insidum pelagus vorticibusque minax.  
 At placidam seruare decet sub fulmine mentem.  
 Spirabit postis lenior aura minis.  
 Haud humeri, si quid reslabit, ferre recusent,  
 Quos, si deficiunt, fulciet ipse Deus.  
 Huius, quod nosti, sine nutu & numine nil sit,  
 In manibus nostrae iura salutis habet.  
 Sceptra tenet fleciturque animos & temperat iras,  
 Inque nouam impellit foederis ire fidem.  
 Nunc stringit Regum nunc striclas laxat habenas,  
 Nam tanta immensum brachia robur habent.  
 Ad nutum hunc aderis potior pax mille triumphis,  
 O laceratae Europae grata medela veni!  
 Sustenta patriae res inter bella ruentes,  
 Principum amicitias glutine nece nouo.  
 Te propter quoties impleuimus aethera votis!  
 Prisca fides redeat, priscus ut ante pudor!  
 Dulce inbar pacis coelo exsplendescere sereno!  
 O pax Musarum dulcis alumna redi!  
 Et Phoebus fac digna loqui, quae saepe locutus,  
 TRILLERVM, inque tuum pleetra mouere decus.  
 Fac COO extremam, res quanta! impendere curam,  
 Principibusque viris, quos medicina tulit,  
 Vindicibus vitae priscisque heroibus artis,  
 Quos purgat mendis & polit illa manus.  
  
 Nunc tecum est animus, nunc Te TRILLERE salutat,  
 Nunc hora fruitur, pristina qualis erat.  
 Curvo bodie genium, nepenthe pocula libo,  
 Natalem scito me celebrare tuum,  
 Et quasi sim praesens, collo dare brachia circum,  
 Ac misto lacrymis dure litare precum.  
 Cras Tibi nullus erit curarum in pectore sensus.  
 Tali Te iubeat lege valere Deus!

---

Gottingae die X Februarii, Trillero meo natali, A.R.S.  
 MDCCCLIX.



VD-18

ULB Halle 3  
006 817 750







AD VIRVM ILLVSTREM  
DANIELEM WILHELMVM  
TRILLERVM D.

VM AVLAE CONSILIARIVM  
ACADEMIA LEVCOREA  
ESSOREM MEDICINAE PRIMARIUM,  
AMICORVM CORYPHAEVM

EPISTOLA ALTERA  
TEMPORE QVERVLA  
G. RICHTERI.

Kapsel 78 N 11 [6]

AK

